

pitulis ordinariis? — Resp. II. Capitulares illos, qui sunt præsentés in loco esse convocandos, atque citandos, quando capitulum extraordinarium celebratur, nemo dubitat. Et additur, « extraordinarium: » nam in capitulo ordinario sibi canonicus imputet, si eo absente, seu potius interesse nolente, aliquid capitulariter tractetur, atque decidatur, saltem loquendo de negotiis ordinariis, minusque arduis. Quando autem in capitulo ordinario tractandum assumeretur negotium arduum, atque de jure requirens convocationem capituli; singulis capitularibus id prævie indicandum, eorumque citatio facienda foret: alioquin enim, etsi scirent, hodie v. g. futurum capitulum ordinarium, nescirent tamen, in eo tractandum esse negotium tam arduum, ac de jure requirens citationem singulorum, cujus decisioni forsitan etiam ipsi interesse voluissent, si illud tractandum fore præcognovissent. In quo tamen puncto cumprimis attendenda erit antiqua, et laudabilis consuetudo cujuslibet Ecclesiæ, juxta generalia juris principia de consuetudine tradi solita.

9. Si capitularis legitime citatus interesse noluerit, valet electio, vel alius actus capitularis cæterorum. Non tamen licitum est cuipiam canonico, ordi arie abesse a capitulo. — Porro, si quis capitularium legitime citatus sponte capitulo interesse noluerit, valet electio, vel alius actus capitularis a cæteris præsentibus canonice peractus, arg. c. Quia propter. 42. de Election. ibi: « Et volunt — interesse; » estque uberius dictum supra lib. I. tit. VI. de Electione. § 5. n. 117. Verum cessante justo impedimento, atque extra tempus permissæ a concilio Tridentino trimestralis absentiæ, non est licitum cuipiam canonico, ordinariè abesse a capitulis: nam munus canonicorum non solum in residentia personali; atque servitio Ecclesiæ, et chori, veluti officio eorundem præcipuo consistit; sed etiam includit rectam administrationem, et gubernationem rerum corporalium: prout uberius hanc canonicorum obligationem interessendi capitulo, declarant Barbosa, cit. tract. de Canonicis, cap. XL. n. 1. et seqq.

10. Canonici absentes, in quibus casibus debeant vocari ad capitulum? — Resp. III. Quantum attinet canonicos absentes, communiter respondent doctores cum Glossa, magistrali in cap. II. vers. Ipsorum. de Testibus, in 6. quod absentes ad capitulum necessario non debeant vocari, nisi in tribus

casibus: Primo videlicet, in electione, c. Quia propter. 42. de Election. cum similibus: Secundo, in receptione canonicorum, et præbendarum collatione: nisi aliud habeat consuetudo Ecclesiarum, text. clar. c. Cum in Ecclesiis, 33. de Præbend. in 6. Et tertio in cessatione a divinis c. Quamvis. 8. de Offic. ordinar. in 6. Ita Abbas, c. Cum ex injuncto. n. 10. et Innocentius, Fagnanus, ibid. n. 52. de Novi oper. nuntiat.; Barbosa, d. tract. de Canonicis, cap. xxxix. n. 1. allegans alios. Quamquam hi ipsi Auctores citatam Glossam extendant ad omnes consimiles casus, ac generaliter addant, quod, ubicunque negotium est arduum et grave, semper absentes vocandi sint. Intellige, quando istud commode fieri potest, et non est periculum in mora, nec alicubi habetur consuetudo in contrarium: nam circa hoc attendendas esse consuetudines Ecclesiarum, monet Glossa, c. Quamvis. vers. Evocandi de Offic. ordinar. in 6; Barbosa, loc. cit.; Engel, h. t. n. 2. et communis aliorum. (ADNOTATIO XII.)

§ I.

DE ACTIS CAPITULARIBUS, HORUMQUE REQUISITIS, ET VALORE.

11. Ut quid censeatur capitulariter actum a toto capitulo, collegio, etc., atque valeat, requiritur, ac regulariter sufficit consensus majoris partis ipsius. Major pars capituli repræsentat totum capitulum. — Quæritur I. Quænam concurrere debeant, ut aliquid censeatur capitulariter actum a toto capitulo, firmitatemque obtineat? Resp. I. Ad hoc, ut capitulum, collegium, aut alia universitas aliquid agere censeatur, actumque valeat, plura requiruntur. Et primo quidem requiritur, atque regulariter sufficit consensus majori partis ipsius. Ita communis; atque desumitur ex cap. I. h. t. ubi Summarium, et Abbas, n. 1. aliique passim, ponunt hanc regulam. « In universitatibus ecclesiasticis prævalet regulariter, quod fit a majori parte: nisi minor pars rationabiliter contradicat. » Concordat textus in cap. III. et IV. eod. cum similibus. Accedit ratio, quia capituli potestas in majori, et saniori parte capituli consistit. Barbosa, cit. tract. de Canonicis, cap. xxxviii. n. 3. allegans alios. Unde, quod major pars capituli facit, a toto capitulo intelligitur factum: nam major pars capituli, repræsentat totum capitulum; prout habetur in l. Quod major. ff.

Ad municipalem, illis verbis: « Quod major pars Curie efficit, pro eo habetur, ac si omnes egerint. » Additur tamen in data conclusione ly, « regulariter: » nam, ut taceatur, quod major illa pars debeat simul esse sanior, per textus n. 21. allegandos; dicta conclusio nonnullas alias patitur limitationes, juxta dicenda n. 24. et seqq.

12. Requiritur insuper, ut omnes vocem activam habentes legitime convocentur. — Resp. II. Insuper ad validitatem actorum capituli requiritur, ut omnes ad illud pertinentes, seu vocem activam habentes, legitime convocentur; conformiter proxime dictis n. 8. et 10. Alias enim uno eorum contempto, seu non vocato, qui debent, volunt, ac possunt interesse, posset is agere de contempto; et nisi velit pro bono pacis acquiescere actis aliorum, isthæc ad ejus instantiam erunt irritanda. Ita communis. Prior pars desumitur ex cap. 2. § Hoc jus. caus. 10. q. 2. ibi: « Majori parte ibidem servientium consentiente. » Atque specialiter loquendo de electione, patet ex c. Quia propter. 42. de Election. ubi statuitur, electionem esse celebrandam « præsentibus omnibus, qui debent, et volunt, et possunt commode interesse: » juncto quoad alteram partem conclusionis cap. Quod sicut, 38. et c. Ecclesia vestra. 57. de Election. ac dicendis infra n. 31.

13. Et quod capitulares fuerint congregati capitulariter, et cum ipsis tractatus præhabitus. — Resp. III. Rursus, ut capitulum censeatur aliquid fecisse, oportet, quod capitulares fuerint congregati capitulariter, et cum ipsis tractatus præhabitus, arg. cap. ult. h. t. ibi: « Tractatum communiter habuistis. » Neque sufficit, quod singuli canonici seorsim aliquid promittant, sententient, aut suam voluntatem declarent: alioquin enim singuli convenirent singulariter duntaxat, non autem collegialiter, juxta textum notabilem in c. In Genesi. 55. de Election. Joan. Honorius, n. 1. h. t.; Engel, eod. 5. et alii.

14. Atque duæ partes capitularium sint præsentés, saltem spectato jure civili. — Resp. IV. Ad hoc, ut capitulum quidpiam capitulariter tractet, præter legitimam ejus convocationem factam ab eo, ad quem pertinet convocatio capituli, et quod omnes et singuli, qui de jure vel consuetudine vocandi sunt, convocentur; ulterius requiritur, quod saltem duæ partes, seu duæ tertiæ capitularium, sint præsentés, v. g. ex duodecim octo. Ita Glossa, cap. I. vers. Constitutum. et Abbas,

ibid. n. 16. h. t. Riccius, in praxi Variar. resolut. p. II. resol. 280. et alii, istud tamen intelligentes sub distinctione proxime afferenda. Idque desumitur ex l. Nullit. et l. Plane. ff. Quod cujusque universitatis nomine etc. ubi ut actus Universitatis valeat, requiritur, quod « duæ partes adsint, aut amplius quam duæ: » in quibus duabus partibus connumeratur etiam is, qui tunc eligitur; ut cit. lit. Plane. dicitur. Siquidem universitas est persona ficta, seu repræsentata, l. Mortuo, et ibi Glossa, ff. de Fidejussorib.; Fagnanus, l. Ad hæc. n. 62. de Religios. domib. Et duæ partes repræsentant totam communitatem, per jura citata, juncta. l. III. ff. de Decretis ab ordin. faciend.; Abbas, cit. n. 26. et alii.

15. Canonistæ quoad hoc distinguunt: et quomodo? — Atque istud verum est spectato jure civili, et secundum civilistas: nam, ut inquit Abbas, c. Cum omnes. n. 13. de Constitution. et Fagnanus, c. Cum ex injuncto. n. 49. de Novi oper. nuntiat. Canonistæ communiter distinguunt. Quia (inquiunt) vel adest aliquis, puta, superior, ad quem spectat congregatio, seu convocatio, universitatis: et tunc, si ad illius mandatum non veniant omnes cæteroquin legitime vocati, poterunt venientes explicare actum, etiamsi non faciant duas tertias; imo etiamsi non interveniat major pars capituli: quia tunc convocatio superioris constituit cæteros non venientes in contumacia, et hæc privat illos facultate dandi vocem; c. Cum nobis. 19. de Election. Ubi « ad electionem faciendam accedere nolentes, alienos se fecisse videntur. » Unde Glossa, ibid. vers. Alienos, infert, quod, ex quo nolunt venire vocati, potest procedi sine ipsis, arg. c. Prudentiam. 21. § Adjicimus. de Offic. judic. delegat. Si vero non sit aliquis, ad quem spectet convocatio universitatis, tunc etiam secundum canonistas debent duæ tertiæ intervenire, per jura n. 14. allegata.

16. Intelligitur hoc ultimum, nisi instet finis termini, præfixi universati ad expeditionem actus: quia tunc minor pars conveniens debet vocare alios, qui commode possunt vocari; eisque vocatis, sive venerint, sive non venerint, procedere possunt præsentés ad expediendum actum, v. g. electionem: non enim debet universitas privari suo jure ob contumacem absentiam majoris partis. Ita Innocentius c. Cum ex injuncto. 2. de Novi oper. nuntiat. Joan. Andreas, c. In causis,

n. 22. *de Election.* Abbas et Fagnanus, ubi supra, et alii.

17. *Qualis subscriptio requiratur, quando super actis capitularibus debet erigi instrumentum?* — Resp. Quando super actis capitularibus debet erigi instrumentum, seu scriptura, regulariter necesse non est, ut singuli capitulares se subscribant; sed sufficit apprimere consuetum sigillum capituli, et in contextu illius instrumenti, aut inferius adscribere, quod capitulum, aut collegium talis ecclesiæ id fecerit. Ita Innocentius, et Abbas in cap. 1. n. 4. *De his quæ fiunt a prælat.* asserentes, quod subscriptio nunquam requiratur, nisi in casibus a jure expressis: quorum plures enumerat Glossa in cap. 1. vers. *In scriptis. de Cens.* in 6. Eadem conclusionem tradit Ludov. Engel, h. t. n. 14. citans Mynsingerum, centur. I. observat. 76. et centur. III. observat. 18. et concordant dicta superius lib. II. tit. XXII. *De Fide Instrumentorum.* § 3. n. 91. et 93.

18. *In praxi est attendendum ad specialem locorum consuetudinem.* — In praxi vel maxime attendendum est ad specialem locorum consuetudinem: multis quippe in locis etiam in causis arduis tantum præpositus, decanus, et senior, nomine totius capituli se subscribunt.

19. *Instrumento nomina absentium non sunt inscribenda.* — Et quando etiam, ob gravitatem causæ, omnes capitulares sese subscribere solent, omnino cavendum est, ne instrumento canonicorum absentia nomina inscribi sinantur: talia enim munimenta irrita sunt, et falsa, ac quæstioni Falsi subjecta, text. clar. c. *Quanto*, 5. *De his quæ fiunt a prælat.* etc. Atque ita observari videmus in pluribus bullis pontificiis, in quibus Papa, et cardinales præsentem nominatim se subscribunt, loca autem cardinalium absentium relinquuntur vacua.

20. *Major et sanior pars capituli, quæ?* — Quæritur II. Utrum ad valorem actuum capitularium in omnibus prorsus casibus requiratur, atque sufficiat consensus majoris et sanioris partis capituli? Ubi prænotandum, quod major pars dicatur respectu numeri, sanior vero respectu consilii, et materiæ subjectæ. Fagnanus, in c. *Cum in cunctis* n. 3. h. t. Hinc major pars capituli censetur ea, ubi est major numerus votantium respectu totius capituli præsentis; ad quod sufficit quicumque excessus ultra medietatem, etiamsi foret unius medii voti: unde si adessent tredecim

votantes, septem vota jam sufficerent ad hanc majoritatem. Sanior vero pars capituli dicitur, quæ est justior, et majori ratione nititur, et auctoritate. Glossa c. *In Genesi*, 55. vers. *Ad zelum. de Election.* Sive (ut alii loquuntur) sanior pars censetur, quæ constat viris dignitate, ætate, prudentia, pietateque magis conspicuis: prout fusius dictum est supra lib. I. tit. VI. *de Electione.* §. 6. n. 138. 139. 142. ac seqq. Quo prænotato.

21. *Ad validitatem actus capitularis necesse est. ut sit gestus a majori, et saniori parte capituli.* — Resp. I. Ad validitatem actus capitularis non sufficit, quod major pars capituli aliquid decernat, nisi illa etiam sit sanior: nec e contra sufficit, quod sanior pars quid decernat, nisi etiam sit major: sed necesse est, ne actus capitularis simul a majori, et saniori parte capituli sit gestus. Ita communis; et patet ex cap. 1. h. t. ubi concilium Lateranense, celebratum sub Alexandro III. sic statuisse refertur: « Quocirca præsentem Decreto statuimus, ut nisi a paucioribus et inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit, et ostensum; appellatione remota prævaleat semper, et suum consequatur effectum, quod a majori et saniori parte capituli fuerit constitutum. » Ubi ponderando, ly, « a majori et saniori parte capituli, » etc. infert Abbas, ibid. n. 3. et 11. et communis aliorum quod in negotiis Ecclesiæ explicandis copulative requiratur major, et sanior pars capituli cap. III. et IV. h. t. juncto c. *Quia propter*, 42. *de Electione.* ubi pariter ad validitatem actus capitularis, v. g. electionis, requiritur, ut in eum « omnes, vel major et sanior pars capituli consentiat; » cum similibus.

22. *Solvitur duplex instantia.* — Nec dicas. In relato textu c. h. t. dicitur posse « a paucioribus et inferioribus aliquid rationabiliter objici; » et si istud ostensum, seu probatum fuerit, impediri illud, quod majori parti placuerat: ergo valet id, quod sanior pars capituli constituerit, etsi non sit major. Resp. neg. consequent. Quia, ut bene notat. Abbas, cit. cap. 1. n. 11. h. t. in tali casu potest quidem minor pars, rationabiliter aliquid opponens, atque probans, impedire decretum majoris partis: non tamen potest aliquid statuere capitulariter, seu nomine totius universitatis. Intellige, dummodo major pars non sit privata voce activa propter delictum, puta ob electionem indigni scienter factam: quia tunc potestas totius capituli resideret in

non delinquentibus, licet nomen paucioribus, atque isti representarent capitulum, sicque etiam capitulariter quid statuere, puta eligere, valerent; ut c. *Dudum*, 22. juncta Glossa vers. *In ordinibus*, et c. *Congregato*, 53. *de Electione.* estque jam dictum supra lib. I. tit. VI. *De Elect.* §. 11. n. 251. et 260.

23. Dices: In can. 1. et 2. et 3. dist. 65. ad canonicam electionem sufficere dicitur consensus plurimorum; ergo non est curandum an major pars capitularium aliquid statuentium, etiam sit sanior. Resp. neg. consequent. Nam allegati canones, alique consimiles intelligi debent de majori, simulque saniori parte: idque tum ob jura n. 21 relata: tum ex eo, quia in citatis canonibus solum excluduntur pauciores, qui « animositate ducti, vel per malitiam, aut propter proprias et domesticas simultates » contradicere sententiæ plurimorum non verentur; sicque illis contemptis decernitur ibidem, servari sententiam plurimorum. Accedit, quod major pars censeatur illa, quæ majori ratione et pietate nititur, can. *Sana quippe*, dist. 9. et can. *Multi sacerdotes*, in fin. dist. 40. et notat Glossa cap. 1. vers. *Rationabiliter*, h. t. ac proinde major pars involvit, quod si sanior; sicut et in dubio pars major censetur etiam sanior: qui præsumitur pro pluralitate, nisi contrarium probetur. Glossa cit. cap. 1. vers. *Rationabiliter*, estque pariter jam dictum supra cit. tit. VI. *de Electione*, n. 143. et 144.

24. *Dantur tamen aliqui casus, in quibus limitatur data regula. Minor pars capituli, rationabiliter aliquid opponens, potest impedire decretum majoris partis; non tamen aliquid capitulariter statuere.* — Resp. II. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus vel prævalet pars sanior, etsi non sit major: vel non sufficit, quod major et sanior pars aliquid decernat. Ita communis, et patet inductione. Sic imprimis, quantum attinet priorem partem prævalet id, quod minore parte, rationabiliter aliquid opponente, et probante, intenditur: etsi enim minor pars nihil possit capitulariter decernere, juxta proxime dicta n. 22. potest tamen, dum rationabiliter contradicit, impedire decretum majoris partis, per textum cit. cap. 1. h. t. ibi: « Nisi a paucioribus et inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit, et ostensum, » etc. Ubi ly, « et ostensum, » idem importat, ac: Dummodo minor pars contradicens coram superiore capituli, vel electis arbitris (pars enim

major non est iudex, sed suspecta) probaverit id, quod objicit: nam non sufficit objicere, nisi probetur. Glossa ibid. vers. *Ostensum*, et alii.

25. *Unicus canonicus potest se opponere pro defensione Ecclesiæ suæ.* — Quinimo, tametsi gesta a majori parte capituli ad utilitatem Ecclesiæ valeant, non obstante aliorum contradictione: tamen si major pars irrationabiliter, aut in damnum Ecclesiæ quidpiam decrevisset, potest etiam unus contradicere, arg. c. *Nicæna*, dist. 31. juncta Glossa final. et marginal. Ricci. in praxi *Variar. resolut.* p. 2. resol. 249. et Archidiacono n. 6. ibid. notanter inferentibus, quod unicus canonicus possit se opponere pro defensione Ecclesiæ suæ.

26. *Ac sua contradictione impedire, quominus valeant gesta majoris partis ad damnum Ecclesiæ. Jura universitatis in uno solo retinentur.* — Similiter cæteris delinquentibus, ut puta, in hæresin lapsis, unius innocentia, et contradictio impedire potest, quominus valeant gesta majoris partis ad delictum, et damnum Ecclesiæ imputandum. Ita Apostilla ad Bartolum in l. *Jubemus nullam*, vers. *Capituli. C. de Sacrosanct. Eccles.* citans Paulum de Castro; Layman, c. *Inter quatuor*, n. 2. *de Majoritat. et obed.*; Pirhing, h. t. n. 4. Siquidem jura universitatis, vel collegii, in uno solo retinentur l. *Sicut*, ff. *Quod cuiusque universitat. nomin.* Simulque « delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, » ut inquit reg. 76. jur. in 6.

27. *Quando major pars scienter elegit indignum, valet electio a minori parte celebrata.* — Tacetur casus ille, quo major pars capituli scienter elegit indignum: quia tunc valida est electio digni a minori parte capituli, ob rationem datam n. 22. estque professo dictum superius lib. I. tit. VI. *De Electione*, n. 146. et n. 152.

28. *Ratione longævæ consuetudinis potest ad validitatem actus capitularis, v. g. electionis, sufficere consensus majoris partis respectu minoris, licet non sit major respectu capituli.* — Deinde data conclusio patitur limitationem ratione contrariæ consuetudinis alicubi receptæ. Nam in quibusdam Ecclesiis, seu locis, ex longæva consuetudine receptum esse, ut ad validitatem actus capitularis, v. g. electionis, sufficiat consensus majoris partis capitularium comparatione partis minoris, licet non sit major respectu totius capituli